



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,  
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

**Ziegler, Kaspar**

**Norimbergæ, 1686**

XII. De jure & potestate imponendi pœnitentiam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

fugiam, habeo: sed regio cultu eo recepto de Ecclesiasticis facultatibus, sicut precipit, & quamdiu precipit, illi & sibi obsequentibus servio &c. Eaque propter recte negarunt Jesuitæ in Gallia, excommunicari posse Regem, nisi, quod aliter se sensuros, si Romæ essent, credidissent ipsi, uti refert Gabr. Barthol. Gramondus lib. 15. hist. Gall. in fin.

LXXIII. Antequam finiamus, id unicum erit addendum, excommunicationis poenam hanc præcipuè intentione infligi, ut emendetur reus, & resipiscat, suamque cum Ecclesiâ reconciliationem flagitet ipse. Quod si corrigi nolit, & in peccatis suis perseveret, judiciis secularibus committatur olim, & ad regia tribunalia ablegabatur. Decretum ita in Concilio Vernensi c. 9. Quod si aliquis ista omnia contempserit, & Episcopus emendare minimè potuerit, Regis judicio exilio condemnatur. Aliquando per brachiumulare cogebantur ad absolutionem petendam, sicubi tempus, quod ad eam impetrandam præscriptum erat, elapsum fuisset. Uti eam in rem conceptum legitur Ludovici Regis edictum: Et si aliqui per annum contumaces extiterint, ex tunc compellantur redire ad Ecclesiasticam unitatem, ut quos à malo non retrahit timor DEI, saltem poena temporalis compellat. Unde precipimus, quod Ballivi nostri omnia bona talium excommunicatorum, mobilia & immobilia, post annum capiant, nec eis aliquo modo ea restituant, donec prædicti absoluti fuerint, & Ecclesiæ satisfecerint.

## CAP. XII.

### De Jure & potestate imponendi poenitentiam.

#### I.

Poenitentia vocabulum hoc loco significat poenam, quæ pro expiandis criminibus & delictis publicis imponitur iis, qui de crimine publico convicti sunt. Hoc sensu constitutum fuit in Concilio Cabilonensi c. 8. De poenitentia verò peccatorum, quæ est medela animæ, utilem hominibus esse censemus: & ut poenitentibus à Sacerdotibus data confessione indicatur poenitentia, universitas Sacerdotum noscitur consentire. Et in Concilio Remensi II. c. 12. Omnibus his actis ventilata est ratio poenitentia, ut sacerdotes certius intelligerent, quomodo confessiones recipere & poenitentiam secundum canonicam institutionem poenitentibus deberent indicare. Item in Concilio Parisiensi VI. c. 32. Quoniam multi Sacerdotum partim incuriâ, partim ignorantia modum poenitentia reatum suum confitentibus secus quàm jura Canonica decernant, imponunt, &c. Sic & in Concilio Moguntino anno DCCCXLVII. c. 31. Modus tempus, poenitentia peccata sua confitentibus, aut per antiquorum

cân-

canonum institutionem, aut per sanctarum Scripturarum auctoritatem, aut per Ecclesiasticam consuetudinem imponi debet à Sacerdotibus. -- Nam qui publicè peccat, oportet ut publicà mulctetur pœnitentiâ & secundum ordinem canonum pro merito suo & excommunicetur & reconcilietur. Eadem significatio alibi passim occurrit. Sic enim receptum erat, ut quas decrevisset aut præfinitisset pœnas aut supplicia Episcopus pro gravitate & atrocitate criminum, ea exactè omnia pœnitens observanda sibi duceret.

II. Ita nempe receptum erat in Ecclesiâ, ut illos, quorum peccata gravia censuræ Ecclesiasticæ subjecta essent, castigationibus quibusdam externis de pœnitentiâ suâ testatum facere oporteret, quibus exercerentur per aliquod temporis spacium, & idoneos se redderent, ut reciperentur. Ut enim tuti magis & securi existerent præfinitæ Ecclesiæ Patres, neve temerè peccatoribus publicis pacem Ecclesiasticam restituerent valdè asperum ac difficilem illis præscribere solebant pœnitentiæ modum. Atque illa opera pœnalia requirebantur tum ad humilitatem peccatoris, & consequenter ad dispositionem pro obtinendâ verâ compunctione, tum etiam ad Ecclesiæ ædificationem, ubi scandalum fuit publicum, ut Ecclesiæ etiam satisfaceret, scandalum elueretur, & cætera Ecclesiæ membra per huiusmodi spectacula magis excitarentur ad pietatem, sibi que ab enormibus istiusmodi delictis caverent magis, ipsi etiam lapsi cautiùs deinde mercari discerent, denique & palam fieret, non doceri in Ecclesiâ licentiam peccandi.

III. Hâc fini in multos sæpè annos pœnitentiam istam publicam continuare oportuit, ut ex diuturniore disciplinæ hujus Ecclesiasticæ exercitio de conversione peccatoris eo exactior haberi posset notitia, neve restitueretur temerè pristinæ communioni, cujus affectus nondum satis fuerint probati. Et in hoc enim differt receptio, quæ fit ex parte DEI, & quæ fit ab Ecclesiâ, quod illa statim fiat, simulatque ad DEUM reversus fuerit peccator, hæc non nisi post elapsa aliquot tempora, & edita veræ pœnitentiæ specimina. Rationem diversitatis eleganter exponit Ivo Carnotensis epist. 22 & Quærit fraternitas tua, quomodo inter se conveniant prophetica sententia, que dicit: In quacumq; horâ peccator conversus ingemuerit, salvus erit, & synodalis, que crimina sua constitentes aliquamdiu à corporis & sanguinis Christi communionem suspendit. Repugnare enim tibi videtur, dissentire sententiam capitæ & corporis, ut quos caput, id est, Christus celeriter à peccato liberat, eos corpus Christi, id est, Ecclesia sub pœnâ peccati diu ligatos retineat. Que questio facile solvitur, si interni iudicis animadversio & humana fragilitatis consideratio diligentius attendatur. Cùm enim criminalis culpa delinquentem separet à capite & à corpore, rationis ordo hoc exigit, ut internus iudex tanto remittat celerius, quanto solus magis videt interiùs. Iudex verò, qui tantum videt in facie usq; ad eò delinquentes sub peccati pœnâ detineat, donec per manifestum pœnitentiæ fructum, qui fit pœni-

pœnitentis affectus, intelligat. Per internum enim gemitum satis fit interno iudici, & idcirco indilata datur ab eo peccati remissio, cui manifesta est interna conversio. Ecclesia vero quia occulta cordis ignorat, non solvit ligatum, licet suscitatum, nisi de monumento elatum, id est, publicâ satisfactione purgatum &c. Didiçit hanc distinctionem Ivo ab Augustino, cujus in *Enchiridio* cap. 65. hæc sunt verba: *In actione pœnitentiæ, ubi tale crimen commissum est, ut is, qui commisit, à Christi etiam corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris. Cor enim contritum & humilitatum DEUS non spernit. Verum quia plerumq; dolor alterius cordis occultus est alteri, neq; in aliorum notitiam per verba, vel quæcumq; alia signa procedit, cum sit coram illo, cui dicitur, gemitus meus à te non est absconditus, rectè constituuntur ab iis, qui Ecclesiæ præsumunt, tempora pœnitentiæ, ut fiat etiam satis Ecclesiæ, in quâ remittuntur ipsa peccata.* Locus extat apud Gratianum c. 83. de pœnit. dist. 1.

IV. Temporis determinatio obtinuit jam tum ineunte seculo quarto, uti ex Concilio Ancyran, quod anno CCCXV. celebratum fuit, aliquot canonibus patet. Idem ostendit Concilii Nicæni canon undecimus & duodecimus, ut adeò videatur istud in ipsis persecutionibus introductum & accuratè observatum. Nec tempora tantum præfixa pœnitentibus fuerunt, sed stationes etiam & loca in Ecclesiâ, ne reliquis fidelibus immisce- rentur temerè. Quin & ipsi inter se locis istiusmodi distinguebantur, pro ratione gradus, quem sustinere oportebat. Erant scil. *προσλαίωντες* in veteri Ecclesiâ, erant *ἀκροώμενοι*, erant porro *ὑποπίπτοντες*, & denique *σωσιζόμενοι*. Singuli suam habebant *εὐσίον* ab reliquis separatam, quam retinere oportebat, dum in ordine isto & gradu pœnitentiæ consistebant. Primus & infimus ordo pœnitentium erat eorum, qui *προσλαίωντες* dicebantur, qui extra Ecclesiam stantes, eum luctu & lacrymis eos, qui ingrediebantur, orabant, ut pro se misericordiam DEI implorarent. *Ἐπίσι* eorum erat in *προπύλαιῳ* Ecclesiæ seu porticu, quæ erat extra portam. Hos excipiebat ordo *ἀκροωμένων* five audientium, quibus in narthece stare, & divinas Scripturas atque conciones audire permissum erat. Tertius ordo erat *ὑποπίπτοντων*, genuflectentium, quibus intra Ecclesiæ septa post suggestum stare permissum erat, quosque cum catechumenis antequam mysteria sacra peragerentur, exire oportebat. Priusquam autem dimitterentur, in genua procidebant coram Episcopo, qui & ipse cum populo procidens & statim exurgens manus ipsis imponebat. Quartus ordo erat *τῶν σωσιζομένων* consistentium, ita dictorum, quod reliquorum fidelium more stantes orarint ad finem usque actionum sacrarum, quæ in Ecclesiâ peragebantur. Atque hi; uti cum Catechumenis non egrediebantur, ita in hoc uno differebant ab reliquis fidelibus, quod unâ cum ipsis commu-  
nicare

nicare non liceret, siue ad Sacramentum non admitterentur, τῶν ἀγασμάτων μήπω ἀξιωματοί, uti loquitur Harmenopolus *epit. can. sect. 5. tit. 3.* Idque est ἐν χριστιανικῆς κοινότητος χάριτι πρὸς φρόνησιν, in *canone 4. § 5.* Concilii Ancyranī. Singulos gradus eo modo, quem explicavimus, describit Gregorius Neocæsariensis, qui Thaumaturgus aliàs dicitur, *can. 11. & Mathæus Blaftares in Syntagm. alphabet. lit. M. cap. 6.*

V. Hi ordines ita erant sub dispositione Episcopi, ut ab ejus arbitrio penderet, pœnitentibus leges & modum, atque sic non locum tantum, sed etiam tempus præscribere, observatis tamen quæ jam proftabant, decretis Ecclesiasticis. Poterant etiam determinatum jam tempus nunc dilatare, nunc coarctare, prout magis minusve dolorem suum ob commissa peccata pœnitentes signis externis declarabant. Ita difertè statutum fuit *d. can. 5.* in Concilio Ancyrano: *Episcopi autem potestatem habeant modum conversionis eorum examinantes aut humanius agere, vel plus temporis adjicere. Ante omnia autem § præcedens vita, § que consecuta est, examinetur, § sic eis clementia impertiatur.* Ad quem ita commentatur Zonaras: *Cum æqualem non esse in omnibus pœnitentiæ rationem, ac alios quidem perfectiore conatu, remissiore alios in expiandis criminibus laborare intelligerent, de unoquoque statuendi potestatem omnem Episcopis permisere, ut quam quisque emendationis rationem ostendat, in singulis explorent, ac in quibus pœnitentiæ studium ardentius perspexerint, eos benignius accipiant, tempusque animadversionis contrabant, vel etiam ad præfinitum illud criminis luendi spacium iis, qui remissiore pœnitentiā agunt, adjungant &c.*

VI. Canon iste Ancyranus insertus reperitur in *Capitularibus lib. 7. tit. 3.* Sed quod dixi, ab Episcopi arbitrio pendere, quem pœnitentibus præscribere modum velit, ne id ad nudum ejus beneplacitum, & simplex arbitrium referatur, ac si licitum esset, pro lubitu qualemcunque pœnitentiæ externæ modum decernere, optimè prospectum fuit per constitutiones Karolinas, qualiter se gerere debeat Episcopus. Sic enim legitur eodem *lib. 7. c. 294.* *Quærendum est Sacerdoti, cum accipit cujuslibet fidelis confessionem peccatorum, qualiter primo peccatum perpetratum, ut si postea iteratum, aut frequenter actum sit, si sponte, si coactè, si per ebrietatem aut per quodlibet ingenium factum sit, & cum viderit, unde radix illius peccati processit, tunc congruam adhibeat medicinam. Qualis verò peccati adhibenda sit medicina, secundum canonum auctoritatorum sanctorum patrum esse debet, & non secundum placitum hominis, sed secundum DEI voluntatem: nec in hac parte voluntas aut gratia hominis sequenda est, sed voluntas DEI in omnibus exquirenda: quatenus dignis precibus, ut pœnitentiæ digna placari possit omnipotentis DEI vindicta, omnes concurrant, quam suo vitio provocavit.*

VII. Canones ipsi diversa tempora pro gravitate aut levitate delicti definiverunt, uti patet ex Concilii Nicæni *can. 11.* & Concilii Ancyran *ad ductis canonibus quarto & quinto.* In Capitularibus autem Karolinis *lib. 5. c. 71.* generaliter constitutum est: *Qui pœnitentiam publicè gerunt, debent unum annum esse cum cilicio inter audientes, vel usq; ad magnum diem, & populo, quando intrat in Ecclesiam, persusi lacrymis veniam postulare, precariq; qualiter septem annorum pœnitentia agatur cum humilitate, ut pro eis dignentur orare. Tribus verò annis subjaceant inter pœnitentis, manibus sacerdotum in loco retrò ostium Ecclesiæ pœnitentibus constituto, & seorsum infra ipsam tamen Ecclesiam secluso: populo tamen jam non in terram prostrati, sed vultu & capite humiliato, humiliter & ex corde, ut supra dictum est, veniam postulent, & pro se orare exposcant. Duobus etiam annis oblationis modis omnibus non sinantur offerre: sed populo tantummodo in oratione socientur, ut perfectionem septimo in Cœnâ Domini consequantur anno. -- In his verò septem annis multipliciter jejuniis, & orationibus, stictibus & elemosynarum, prout melius potuerint, exhibitionibus & lacrymis persistant &c.* Septem annis pœnitentiam sustinendam præcipit, quod numerus ille etiam alibi in rebus sacris præscriptus legatur. Augustinus certè *lib. 5. Quæst. super Deuteron. & lib. 2. de C. D. c. 21.* septenarium, quod ex ternario & quaternario conflatus coalescat, numerum maximè perfectum esse scribit: *Horum enim numerorum alter primus est, qui totus censetur impar & exsuperantiam designat: alter perfecti habetur par, & sacram in rebus convenientiam, matremq; justitia, æquabilitatem vel efficit, vel exprimit. Ille etiam in sanctissimis adhibetur mysteriis, ut numerus sanctitatis, hic in rerum corporearum formatione, ut nota ac symbolum perfectionis apparet.* Verùm uti supra dixi, neque canones præcisè septenarium annorum numerum præscribunt, neque ad eum alligatus est Episcopus, quo minus vel dilatare vel minuere tempus pœnitentiæ queat. Rationem reddit Fulbertus Carnotensis Episcopus *epist. 36.* *Mensuram temporis in agenda pœnitentiâ idcirco non satis attentè præfigunt canones pro unoquoq; crimine, sed magis in arbitrio Antistitis statuendum relinquunt: quia apud Dominum non tantum valet mensura temporis, quam doloris: nec abstinentia tantum ciborum, sed mortificatio potius vitiorum. In vestrà ergò manu situm est, pœnitentiam ejus vel breviare vel protetare, juxta quod eum in pœnitendo diligentem seu negligentem videritis.*

VIII. Sequioribus temporibus in valuérunt redemptiones pœnitentiæ, quibus disciplina Ecclesiasticâ valde imminuta & tantum non tota collapsa est. Non enim placuit amplius rigor ille, quem in veteri Ecclesiâ observare oportebat. Et factum inde est, ut breviori compendio temporis satisfacere quis posset, quæ plurimorum annorum termino persolvere tenebatur, uti loquitur Cardinalis Baronius *ad ann. 1055. n. 9.* *Uteve tam pauperes*

peres quàm divites compendium istiusmodi habere possent, duplex exco-  
gitata est methodus redimendi, pro divitibus altera, altera pro pauperibus.  
Divites nimirum pretio redimunt annos, quot Lex Ecclesiastica præscrip-  
sit, & tùm Episcopi pro modo liberalitatis de rigore antiquæ pœnitentiæ  
remittere solent. Atque istum morem ante sexcentos præter propter an-  
nos invaluisse docet Petrus Damiani Cardinalis in quâdam epistolâ quam  
recenset Baronius d. l. n. 6. Cùm à pœnitentibus terram accipimus, inquit,  
juxta mensuram muneris, eis de quantitate pœnitentiæ relaxamus, sicut scriptum  
est: *Divitiæ hominis redemptio ejus.* Altera ratio & via redimendi fit per  
corporeas afflictiones, quibus pauperes & alii, qui velint, redimere brevi  
tempore plurimos annos possunt. Quâ quidem in re valdè nugantur Ro-  
manæ Ecclesiæ Doctores. Audiamus tantùm dictum Petrum Damiani,  
qui lib. 1. epist. 19. hunc in modum philosophatur: *Cum tria scoparum millia  
unum pœnitentiæ annum apud nos regulariter expleant: decem autem psalmodiarum  
modulatio, ut sæpè probatum est, mille scopas admittat, dum CL psalmis constare  
psalterium non ambigitur, quinq. annorum pœnitentiæ in unius psalterii disciplina  
rectè supputantibus invenitur. Sed sive quinque vicies ducas, sive 20. quinquies,  
centum faciunt. Consequitur ergò, ut qui viginti psalteria cum disciplinâ decan-  
tat, centum annorum pœnitentiæ se peregrisse confidat. Alia ejusdem farinae  
refert alibi, quæ piget hîc recensere longius. Patet verò inde simul illud,  
sequalioribus istis temporibus pœnitentiæ diuturniorem & ætatem homi-  
nis haud rarò excedentem injunctam fuisse, sed tamen hoc artificio facilè  
expleri eam potuisse. Ut nihil nunc dicam, conduci aliquando solere alios,  
qui mercede acceptâ, pro conductoribus suis, flagellis humeros suos cæ-  
dunt, & eorum hinc veluti vicariam operam in se suscipiunt. Quod, quàm  
alienum sit à pristinâ disciplinâ, & intentione Ecclesiæ primitivæ, quàmque  
absurdum sit, unusquisque ex naturâ rei facilè intelligit.*

IX. Cæterùm qui ad pœnitentiæ publicam ita se præparabant,  
multum sibi promittebant ex conjunctione precum, quam sperabant à fi-  
delibus ejusdem Ecclesiæ membris. Eleganter Cæsius Arelatensis ho-  
mil. 1. Et ille quidem, qui pœnitentiæ publicè accepit, poterat eam secretis  
agere. Sed, credo, considerans multitudinem peccatorum suorum videt se contra  
tam gravia peccata solum non posse sufficere, idèò adjutorium totius populi cupit  
expetere. Quomodo solet fieri, ut cujus vinea per negligentiam deserta remanse-  
rit, roget vicinos & proximos suos, & unâ die multitudinem hominum congre-  
gans, quod per se solum non potuit, multorum manibus adjutus, id quod desertum  
fuerat reparatur: ita ergò & ille, qui publicè pœnitentiæ vult petere, quasi con-  
rogatam dinoscitur congregare, ut totius populi orationibus adjutus spinas & tri-  
bulos peccatorum suorum possit evellere, ut in eâ bonorum messis valeat. DEO  
auxiliante consurgere, & vinea cordis sui, quæ non uvas sed spinas consueverat

*dare, dulcedinem spiritualis vini exhibere incipiat Sc.* In sequentibus autem verbis ejusdem homiliae admonet poenitentem, ne ex conjunctione hac precum & intercessione populi apud DEUM tantam sibi praesidii spem faciat, ut prorsus securum se salutis suae existimare queat: *Et tamen, inquit, hic ipse, qui tam fideliter compuncto corde & contrito poenitentiam petit, sic de intercessione totius populi debet esse securus, ut totis viribus in bonis operibus se exercens cum DEI adjutorio de sua sit salute sollicitus, ne forte dicat in corde suo: Ecce totus populus pro meis iniquitatibus supplicavit, jam ego & possum & debeo esse securus. Absit, ut hoc vel in cogitatione, non dicam in sermone habeat ille, qui poenitentiam agit Sc.*

## CAP. XIII.

## De Potestate absolventi &amp; reconciliandi poenitentes.

I.

**Q**uandoquidem qui per enormia peccata prorsus exciderant gratiam divinam, & mancipia Diaboli facta fuerant, non poterant in communione fidelium permanere nec restitui, nisi prolixam multorum annorum poenitentiam susceptam dignos se praestitissent, qui in numerum & coetum fidelium reciperentur, factum inde, ut accuratè & curiosè poenitentium mores examinarentur, antequam quicquam de restitutione eorum decerneretur. Sic enim tum ex Scriptura sacra, tum ex disciplina suorum temporum persuasi erant, divinae justitiae iram vehementer pertimescendam, peccati turpitudinem immortali odio dignissimam, & ut ardentissimam pestem fugiendam, magno simul & excelsò animi robore ad virtutis iter multis difficultatum vepretis atque dumis obseptum progrediendum, nec posse alios, nisi patientiae laude praecellentes, & altam quaedam mentem praeditos illud inire, ceteroquin etiam sanctissime viuentes infici & contaminari ab illis, qui tetri alicujus flagitii & sceleris conscientiam exulcerati essent, neque congruam adhuc poenitentiam suis in actionibus & vivendi genere ostendissent. Tantoperè igitur fidelium animi à communione & societate perditorum & flagitiosorum abhorrebant, ut eos non nisi certis spatiis emensis pristinum jus communionis, quantum vis dolorem suum & aegritudinem propter peccata commissa, jejunii, lacrymis aliisque indicibus abunde declararent, recuperare posse statuerent.

II. In hunc finem constituti erant nonnulli apud veteres Christianos, uti refert Origenes *lib. 3. contra Celsum*, ad inquirendum in vitam ac mores eorum, qui ad sacra ipsorum accedebant, ut eos, qui turpia perpetrassent

faci-